

**05**

**A**

**221**





DISPUTATIO THEOLOGICA,  
DE  
**CONFESSIONE**  
**THOMÆ,**  
EX JOH. XX. v. 28.

*Quam*  
SUB PRÆSIDIO  
VIRI

*Summè Reverendi, Magnifici, & Ex-*  
*cellentissimi*

**DN. JOHANNIS**  
**DEÜTSCHMANNI,**

S.S. Theol. D. & P.P. longè Celeberrimi, Fa-  
cult. suæ, Senioris, p.t. DECANI maximè Spectabilis, nec non  
Alumnorum Electoralium EPHORI gravissimi

*DN. Præceptoris, ac Patroni sui omni honoris*  
*cultu prosequendi,*

publicæ sententiarum collationi  
exponit

**MICHAEL WESTPHAL,**

Pritzvvaldens. March.  
RESPONDENS.

*Ad diem XXIII. Januarii, Anni M DC XCI.*

---

WITTENBERGÆ, ex prelo JO. WILCKII.

DISPUTATIO THEOLOGICA

COMPLESSIO

THOMAS

REPERTORIUM

VIRI

2. Theod. D. & P. P. Jones, C. Ex-

D. N. JOHANNIS

DEUTSCHMANNI

2. Theod. D. & P. P. Jones, C. Ex-

cur. Theod. D. & P. P. Jones, C. Ex-

Alumnorum Electorum gravissimi

DM. P. P. Jones, C. Ex-



05 A 221

MICHAEL WESTPHAL

Präsident, March.

RESPONDENS

M. P. P. Jones, C. Ex-

2. Theod. D. & P. P. Jones, C. Ex-





IN NOMINE JESU

THES. I.



Unquam sanè apud homines majus periculum esse potest, quàm cum certissimum a-  
sylum impugnatur, quò evictò, cuncta ruina  
minantur. Formidine enim plenus rerum est sta-  
tus, si eversò supremò receptaculò, homines absq;  
Christo, hinc vel inde vagentur. Necessè itaq;  
est, ut probè discamus, quem colimus, ne in nos quadret illud, quod  
Salvator mulieri Samaritanæ olim dixit: *vos adoratis, quod nescitis.*  
Atq; hocce salutis fundamentum eò magis nobis observandum, quò  
plures habemus cœlestis veritatis hostes. Sociniani enim sunt, qui  
blasphemia s. Cerinthi & Ebionis, contra Divinitatem Christi dog-  
mata, ab ipsis Apostolis refutata impiè propugnarunt. Remonstran-  
tes sunt, qui cum Simone Mago, Hæreticorum omnium Patriarcha,  
Saturnino, Basilide, Carpocrate, Valentino, veram & essentialem  
Christi Deitatem obnubilantes, ipsum minorem summo Deo pu-  
blicè confitentur. Fratres Poloni sunt, qui cum Arianis Filium Dei  
*ψιλὸν ἀνθρώπου* comminiscentes, summam Christi Deitatem, o-  
mnibus modis inficiantur.

THES. II.

His, atq; aliis optimam, catholicamq; de Christo confes-  
sionem, quam Thomas summa cum laude, in confessu summi Doctoris,  
& Magistri Jesu Christi & discipulorum ejus edidit, in præsentem op-  
ponere constitui. Hoc enim eò magis ab omnibus Christi discipu-  
lis æstimandum, quò evidentius illud ab ipso Domino Salvatore ap-  
probatur. Casianus in lib. de Incarnatione ita de hoc dicto scri-  
bis, circa finem: Hoc testimonium fidei, etiam summæ infidelitati  
sufficere potest. Quamobrem in præsentem, *Ἀποκρίσις* ex verbis

A 2

Tho

Thomæ: ὁ κρυπτός μὲν καὶ ἰσθός μὲν summam divinatatem Christi adstruemus. Tu Christe Deus fer nobis suppetias, qvò feliciter pugnemus, ad sis conatibus nostris ut cum Thoma gloriam tuam, vid. summæ Deitatis, gloriosè adstruere valeamus.

### THES. III.

Totus hic evangelicus textus *Cap. XX.* Johannis contentus, ut ex συναφία patet agit de fide in Christum rectè confirmanda, cujus, cum jacturam aliqui fecissent, Christus ut Pastor bonus, colligere, & reducere in viam conatur. Ut enim, Pastore in fugam conjectò, vel occisò, oves disperguntur, ita discipuli, instar trepidarum ovicularum disjecti & dispersi fuerant, cum Christus in horto oliveti captivus ad mortem duceretur. Sed post suam ex mortuis resurrectionem fidelis hic Pastor, dispersas oviculas iterum collegit, sive ut Propheta Zacharias loquitur *cap. XIII. v. 7. convertit manum suam ad parvulos* hoc est ad discipulos, qui in fide adhuc erant infirmi & parvuli. Insignis itaq; illius pastoritiæ curæ & fidelitatis Exemplum in hac historia Thomæ proponitur, siquidem Christus Thomam, velut errantem oviculam requirit, & ad gregem iterum reducit.

### THES. IV.

Nomen & Persona Confessoris nostri Thomæ in textu satis clarè exprimitur, fuit nimirum unus ex duodecim, dictus geminus. Thomas deducitur à ΘΩΜ geminus fuit, congeminatus est; Evangelista illud interpretatur qvò dictus fuerit διδυμὸς, geminus, duplex; dicuntur enim διδυμοί, qui gemini, unoq; partu ex utero matris emerferunt, ac tribuitur hoc nomen Thomæ, sive qvò reverà fuerit gemellus, sive qvò hoc nomen arbitrariè in circumcissione sortitus sit, vid. Harmon. Evangelistar. Gerhard. Lyseri. *cap. 213. p. m. 400.* Ante vocationem fuit Piscator, qvìa cum Petro, Jacobo Johanne, Nathanaele & reliquis vadit piscatum *Job. XXI. v. 3. Matth. X. v. 3.* cum aliis undecim autem cooptabatur in collegium Apostolorum & constituebatur σιζυγὸς Matthæi *Job. XI. v. 15.*

### THES. V.

Qvemadmodum autem facilè contingere potest, ut ovicula aberrat, si à grege reliquo semetipsum sejungat, ita qvòq; Thomæ hoc loco

co

eo accidit, se junctus erat à consortio reliquorum Apostolorum, cum Christus resurrectionem suam per mulieres ad sepulchrum egressas, & per Simonem Petrum ipsis non solum nunciari curasset, sed & se ipsum redivivum eis exhiberet, inde privatur fructu hujus manifestationis & in hunc gravissimum errorem incidit, ut laxatis rationis habenis Christum surrexisse nec crederet, nec persuadere sibi pateretur: Ad hanc incredulitatis causam accedebant etiam aliae in Thoma: apparet enim in eo, quaedam morositas & ἀυτοσφία, quâ sibi solus sapit, suis nititur cogitatis & reliquis omnibus Apostolis contradicit, sicut *Job. XI. v. 15.* Christum accusat, quod se & omnes Apostolos in vitæ periculum conjiciat, cum *Job. XLV. v. 1.* Cum Christus polliceretur se paraturum mansiones in domo cælestis Patris, respondet Thomas *v. 5. nescimus viam* quasi dicat, quid nobis de cælesti Patre & mansionibus in ipsius domo notum est, præstaret hujus vitæ felicitate perfrui: Ita quoque hoc loco agit, morosè obluclatnr Apostolis cæteris, indulget suo cerebro, nec fidem vult habere, ipsorum de Christi resurrectione, testimonio. Removet ex oculis cordis omnes Christi prædictiones de futurâ resurrectione, & iudicio sensuum, ac rationis suæ indulget.

## THES. VI.

Cœterum gravissimò incredulitatis morbo laboravit Thomas, ita ut in magno exitii periculo fuerit constitutus. Cum enim reliqui discipuli, illi nunciarent, se vidisse dominum ex mortuis resuscitatum, ipse mendacii coarguit, narrationem eorum fabulæ similem censet, & in verba incredulitatis plena satis immodestè erumpit: *Nisi videro in manibus ejus vestigium clavorum, & mittam digitam meam in vestigium clavorum & mittam manum meam in latus ejus non credam.* Hæc ita inter Thomam, & discipulos reliquos, geritoverat Dominus, quod & eventus docuerat, & licet potestatem haberet abjiciendi Thomam, propter enormem ipsius incredulitatem, tamen mitissimus salvator eum ex horrendo lapsu vult erigere, speciatim se illi manifestandò: nam post octiduum cum Thomas esset cum reliquis discipulis congregatis, Christus eadem ratione, quâ prius, clausis scilicet januis, ex improvise adest, & In medio discipulorum subito consistens, primò omnium fructum resurrectionis

suæ, pacem nimirum, eis precatur. Mox Thomam figillatim allo-  
 quitur, ut clavorum vestigia contempletur, & manum suam lateri  
 inferens exinde discat suam incredulitatem priorem agnoscere, &  
 damnare, abjectaq; omni dubitatione firmiter statuatur, Christum ve-  
 rè ex mortuis resurrexisse. Quò fit, ut non modò dubitationem  
 abjiciat, suumq; peccatum detestetur, sed vicissim repentinò gaudiò  
 perfusus in præclaram confessionem erumpat, quâ Christum & Do-  
 minum, & Deum suum confiteatur, quippe qui resurgendò à morte  
 luculentum divinatatis suæ specimen edidisset.

## THES. VII.

Atq; ita edidit Thomas Noster fidei suæ, postquam non am-  
 plius incredulus fuit, sed πιστός, vel πιστεύων, egregiam de Christo  
 confessionem, quod cognoscat Eum pro Domino suo & pro Deo  
 suo, quæ itaq; vox cum à fidelibus adhibetur, unicum solum Deum  
 notat, hunc enim fidelis quisq; pro suo Domino & pro suo Deo ag-  
 noscit. Respexisse videtur Thomas ad *Zachar. XIII. v. 9.* יהוה אלהי  
 יישיב וישיב, ubi de populo Dei, hanc edituro confessionem, ser-  
 mo est. vid. B. Glassius Exeges. Evangel. Domin. Quasimodog. p.  
 1249. quidam dicunt hic Nominativum esse positum pro vocativo  
 more Hebræorum, apud quos illa αἰτιπρωσις s. casuum variatio  
 usitata est ut videre est ex *Psalms. XXII. v. 1. Psalm. LIX. v. 1. Psalm.  
 LX. v. 1. Psalm. LXIII. v. 1. Matth. XXVII. v. 46.* ac Thomam Stu-  
 pore perculsum ex insperatæ rei intuitu, & admiratione exclamasse:  
 Sed hac ratione ad alium potius, quàm ad Christum sermo Thomæ  
 esset directus. Equidem Hellenistæ cum compellationem alicujus  
 exprimunt Nominativo, loco Vocativi uti solent: Interim distin-  
 guendum inter formulam exclamandi & formulam vocandi, seu  
 compellandi alterum. Ibi addenda est exclamationis particula, quæ  
 cum hoc loco non adsit, sequitur vocandi & compellandi formulam  
 hic esse, hoc sensu, Domine mi, & Deus mi. Hæc q; nostra senten-  
 tia liquet ex textu, ubi dicitur καὶ εἶπεν αὐτοῖς (syrus reddit), & dixit eis;  
 Ridiculum autem fuisset, dicere Christo, se exclamare a Patrem. Nec  
 id negligendum, quod dicatur Thomas ἀπεκρίθη respondingere: aliud  
 autem est responsio, aliud vero exclamatio. Tum docet id etiam re-  
 plica Christi, quæ Thomæ Responsionem approbare voluit, quod  
 rectè



rectè fecerit confitendo Dominum & Deum suum, adeoq; testatus fuerit, se credere, quamvis rectius fecisset, si antea etiam confessus esset & credidisset *vid. Hackspan. in Not. Philol. Theolog. in difficil. SS. locap. 480.* Interim utroq; modo, sive dicatur Dominus meus, & Deus meus causa vocandi prolatum; sive nominandi cum ellipsi verbi substantivi, habemus confessionem Deitatis Christi. *vid. B. Calov. in script. Anti Socinian. p. 174.*

### THES. VIII.

Statuendum itaq; hanc Thomæ sententiam esse enunciativam, quâ affirmatè testatur, quid de Christo sentiat, ut subintelligatur, tu es, [ sicut & Syrus in Nominativo reddidit ] Dominus meus, & Deus meus, perinde ut in *Psal. XXXI. v. 15.* Deus meus tu, verbum es, subintelligitur. Cum enim Thomas ex ipso intuitu, & contactu, intelligeret, Christum in eodem corpore, in quo clavis & lancea confixus erat, resurrexisse, cumq; audiret, Christum exactè omnia novisse, quæ ad reliquos discipulos protulerat, ex eò colligit, Christum non solum verè resurrexisse, sed etiam per hanc resurrectionem sese Deum ac Dominum potenter declarasse, *quia per passionem Christus ingressus est in gloriam suam Luc. XXIV. v. 26.* & per resurrectionem ex mortuis potenter declaratus est filius Dei *Rom. I. v. 4.* ideo Thomas verà fide suum Dominum ac suum Deum esse confitetur. Coeterùm maximè hic est notanda conjunctio vocabulorum *κύριος & θεός.* Quando hæc duo vocabula in Græco & hæc *יהוה אלהים* in Veteri Testamento conjunguntur, verus & summus Deus intelligitur, nec ulla potest dari instantia, teste B. Calovio in Tractatu de naturali, & revelata Theologia, it. in script. Anti Socin. p. 179. Ita summus Deus denotatur *Apocal. XII. v. 5. Dominus Deus, Marc. XII. v. 29. Dominus Deus noster Act. III. v. 22. Dominus Deus vester Apocal. IV. 8. Dominus Deus omnipotens id. cap. XI. v. 17. c. XV. 3. c. XVI. 7. c. XIX. 6. c. XXI. v. 22. Dominus Deus qui est, qui erat, & qui venturus est, Omnipotens Apoc. I. 8.* Pari modo Thomas summa Dei nomina conjunxit: Dominus meus, & Deus meus.

### THES. IX.

Porro vox *κύριος* non incommodè ad divinitatis Christi confirmam-

firmationem refertur, nomen Jehovah enim LXX. interpretes semper  
 verterunt κύριος, quod proprie denotat Dominum, jam solus Jeho-  
 va absolutum imperium & dominium habet. Sed ut *παλυσμασίαν*  
 vocis, plenius proponamus, tenendum. Nomen κύριος in N. T. vel  
 de Deo adhiberi, summo & absolutissimo rerum Domino, vel de ali-  
 is extra Deum, præsertim verò iis, qui dominio & imperio aliquo  
 præditi sunt. De Deo adhibetur tum *indefinite* non saltim absq;  
 articulo *Matth. I. v. 20. 24. c. II. 13. c. IV. 7. 10. Marc. II. 29. Rom. IV. 8.*  
*c. X. 13. II. Cor. VI. 18.* & alibi passim, sed etiam eum articulo. *Matth.*  
*I. 22. c. II. 15. c. V. 33. Luc. I. 6. 28. 46. & c.* tum *definite* de Deo Patre  
*Matth. XXII. 44. Marc. XII. 36. Luc. II. 26. c. XX. 42. Act. II. 34. II.*  
*Tim. I. 18. & c.* & de Filio Dei *Matth. XII. 8. Marc. XVI. 20. Luc. II. 11.*  
*Job. XX. 28.* aliisq; locis innumeris: ut & de Spiritu S. *II. Cor. III. 17.*  
*18. & c.* Tum & de aliis extra Deum effertur nomen κύριος tum in  
 plurali, ut multi domini denotentur *Matth. XV. 27. Act. VI. 19. I. Cor.*  
*VIII. 5. Ephes. VI. 5. Coloss. III. 22. c. IV. 1. Apocal. XVII. 14. c. XIX.*  
*16. & c.* tum in singulari, ubi vel certus designatur dominus *Act. 10.*  
*XXV. 26. I. Petr. III. 6.* vel *indefinite* quivis doming intelligitur *Matt.*  
*X. 25.* Adhibetur itaq; vox κύριος propriè & impropriè; impropriè ubi  
 nullum reale infertur Dominium, idq; tum *μμητικῶς* ubi Mammon  
 Dominus dicitur *Matth. VI. 24. I. Cor. VIII. 5.* gentilium idola Do-  
 mini vocantur; tum titulotenus, honoris causa ut *Job. XX. 15.* hor-  
 tulanus, quem credebat Maria, Dominus vocatur. Propriam  
 quod attinet usum, nomen κύριος vel dominium designat divinum  
*παντοκρατορικόν*, omnipotentissimum, & absolutissimum, eminent-  
 tissimumq; soli Deo conveniens: vel dominium designat humanam,  
 idq; definitum & restrictum. Hoc posteriori sensu occurrit partim  
 de superiori & monarchico regimine, utpote cum Imperator Nero  
 dicitur Dominus *Act. XXV. 26.* partim etiam de inferiori domina-  
 tu, & regimine despotico, quò pactò quilibet Domini nomine desi-  
 gnatur, qui servos habet, *Coloss. III. 22. c. IV. 1.* aut dominium ali-  
 quod obtinet, quodcunq; etiam illud sit *Matth. XV. 27. Act. XVI.*  
*29.* Ut autem jam constet quale Dominium à Thoma nostro desi-  
 gnatum sit, non lubrico aliquo *κρημνω* ab articulo præpositivo  
 desumpto, nitendum, sed certiori opus erit indicio, quod ejusmodi  
 regula à Theologis accuratissimis propositum, certò accepimus:

VOX

Vox *κύριος*, proprie, singulariter, sine addito restringente & imminuente posita summum Dominum, & Deum denotat, & ita an Marc. XII. v. 29. & Soli Deo I. Tim. VI. 15. tribuitur, Jam vox *κύριος* à Thoma, ea significatione est usurpata, adeoq; divinum, eminentissimum, absolutissimum, & omnipotentissimum, Salvatoris nostri, Dominum, aperte satis confitetur.

### THES. X.

Præterea *κύριος* de Christo peculiariter solet adhiberi, quandoquidem duplici, vel triplici jure est noster dominus, & dominus Dominorum I. Tim. VI. 15. Apoc. XVII. 14. c. XIX. 16. Juxta divinam naturam est dominus, per æternam à Patre generationem, juxta humanam naturam Deus ipsum fecit dominum Actor. II. v. 36. dedit ei Potestatem omnis carnis Job. XVII. v. 2. & constituit supra omnia Dominum Psalm. VIII. 7. Priori ratione est Dominus genitus, posteriori ratione est Dominus factus. Ut autem Christus duplici jure est Dominus ita etiam duplici, vel triplici jure est noster Dominus, sicut Thomas eum hoc loco vocavit suum Dominum. Jure creationis filius Dei, una cum Patre & Spiritu S. est noster dominus, cui ad serviendum, & obediendum, hoc nomine obstricti sumus; Sed præter beneficium creationis etiam hoc nobis præstitit, ut non per peccatum in potestatem Satanæ redactos potenti manu ex ipsius regno eriperet, sibiq; jure redemptionis nos assereret. Imò ratione gubernationis & regiminis est noster dominus, quod ipse, ut Deus καὶ αὐτὸν habet, ut homo vero καὶ ἄλλο per unionis nempe hypostaticæ, & exaltationis ad dextram Dei, gratiam. Act. II. 36. Philipp. II. v. 11. Ideò Thomas noster Salvatorem ex pugna reducem gloriosum Victorem, Domini appellatione, non immeritò, honorat.

### THES. XI.

Atq; ita ad tertium genus communicationis idiomatum pertinet hæc prædicatio, quando Thomas vocat Christum Dominum suum, quia secundum humanam naturam, donatum est, ei illud dominium super omnia, neq; tamen propterea ad probandam Christi Divinitatem, appellatio Domini redditur inefficax, sed in hac communicatione gloriæ, potestatis & domini, divinitas præsupponitur, cum

B

fit

fit personalis communicatio divinorum axiomatum, nequaquam ve-  
 rò essentialis divinorum attributorum in humanam naturam trans-  
 fusio: proinde nisi secundum divinam naturam hæc gloria, potestas,  
 & Dominium Christo competeret essentialiter, non potuisset hu-  
 manæ ipsius naturæ communicari personaliter. Cæterum ut in ap-  
 pellatione domini proponitur prædicatio, ad tertium genus commu-  
 nicationis idiomatum pertinet, ita in appellatione Dei continetur  
 prædicatio, ad primum genus communicationis idiomatum referen-  
 da. Quia enim Thomas tangens & videns corpus Christi, Deum su-  
 um tangere dicitur, eo ipso arctissima & imperscrutabilis duarum  
 naturarum unio exprimitur, per quam divina natura assumptæ car-  
 nis personaliter sibi unitæ proprietates actiones & passiones sibi ap-  
 propriat. Chrissostom. Hom. de Trinitat. T. 3. col. 911. refert huc  
 dictum ex *Psalm. LXXVII. 2. Manibus meis Dominum exquisivi &  
 non sum deceptus.*

## THES. XII.

Deinde nomen *θεός* quod attinet, hoc locò à Thoma non im-  
 propriè vel *ὀμωνόμως* & nuncupativè usurpatur. Distinguitur a-  
 liàs vocis *θεός* significatio in propriam & impropriam. Illa est, quæ  
 verum natura Deum designat & ita innumeris in locis occurrit, & ex  
 Spiritus S. sententia semper in Scriptura Sacra invenitur. Hæc ve-  
 rò est, quæ præter Deum illum unum de aliis adhibetur, vel *καὶ αὐ-  
 τὸ θεοῦ ἢ μισυητικῶς*, de illis qui falso pro Deo coluntur, utpote de  
*Diis gentium, idolis quibusvis Actor. VII. 40. 43. c. XIV. 11. c. XXVIII.*  
*& itemq; de Diabolo hujus mundi Deo. II. Cor. IV. 4. de Ventre Epi-  
 cureorum Deo, Philipp. III. 19. tum καὶ ἀσαλογίας ἢ μεταφορικῶς*  
 de illis qui similitudinem aliquam habent cum Deo. Utpote de Ju-  
 dicibus & Magistratibus *Job. X. 34. 35.* Priori significatione, pronun-  
 ciatum à Thoma in aperto est; nomen enim *θεός* juxta regulam Theo-  
 logorum, absolutè in Scriptura S. adhibitum summum Deum desi-  
 gnat. Etenim præter illum altissimum Deum vocantur Dii, non  
 ita appellantur à Spiritu Sancto, sed ab idololatriis. Sic dicebatur  
*Deus Remphan à Judæis impiis Actor. VII. 43. Herodes Deus vocaba-  
 tur à Parasitis suis Actor. XII. 22. Ara ponebatur quædam ignoto Deo  
 ab Atheniensibus Actor. XVII. v. 23. Paulus Deus nuncupabatur à*  
 Mal-

*Maltensibus Actor. XXVII. 6. Anti Christus seipsum Deum profitemur  
& supra Deum evehit II. Thesalon. II. 4. At Thomas noster à  
Spiritu S. agitatus Christum vocat Deum ἀπλῶς καὶ κατηγορικῶς  
nec ulla utitur æquivocatione.*

### THES. XIII.

Adeoq; omnem, cordis sui fiduciam in Christum, confessione  
sua collocavit, quod eò clarius etiam patet ex pronomine possessivo  
nomine ἡς, conjuncto, meus. Nihil fanè illud argumentationem  
nostram pro summa Divinitate Christi infringit, ut potius eam ma-  
ximè stabiliat; Extant testimonià aperta, ubi ἡς cum articulo &  
pronomine us positum verum & summum Deum denotat, utpote  
*Psalm. XXII. 2. Marc. XV. v. 34. Johann. XX. 17.* ubi Christus inquit  
*Deus meus, quare me dereliquisti.* Ita etiam voluit Thomas dicere,  
Tu es Deus meus, seu hic est Deus meus, & non aliùs. Non secus ac  
ipse Christus homo Deum Patrem vocat Deum suum *Job. XX. v. 17.*  
Noverat enim probè Thomas noster, τὴν πρώτην πασῶν πᾶν ἐπι-  
λῶν à Christo & repetitam & inculcatam *audi Israel, κύριος ὁ θεός  
ἡμῶν κύριος εἷς ἐστὶ Dominus Deus tuus Dominus unus est,* & diliges  
κύριον τὸν θεόν σου, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Deu-  
teron. VI. 4. Marc. XII. 29. 30.* & profitemur tamen λευκα δε φωνῆ κύ-  
ριον τὸ θεόν σου, *Dominum Deum suum esse Christum.* Quod quid  
aliud erat, quam quod agnosceret, eum unum suum Dominum esse,  
quandoquidem Dominus Deus noster unus Dominus sit? Et quæ est  
diversitas inter compellationem illam davidicam *Psalm. XXXIV. v.  
23. πρὸς τῆ κρείσει μὲς ὁ θεός μὲς, καὶ ὁ κύριος μὲς unus, ille.* Deus  
denotatur uti denotari in confesso est, quidni etiam hic eadem pro-  
fus compellatione ὁ κύριός μὲς καὶ ὁ θεός μὲς, unus ille Deus deno-  
taretur. *vid. B. Calov. in Bibl. Illustr. cap. XX. Johan p. 824.*

### THES. XIV.

Rectè itaq; divino Spiritu præditus Ambrosius in hunc locum  
*Unum Deum Patrem Thomas dixit, & unum dominum, Jesum filium  
ejus, ut quia, Deus non potest non esse Dominus, similiter & Dominus  
intelligatur esse & Deus, atq; unum esse Deum & Dom. num demon-*

*straret modum unius Principii conservando. Item in Psalmo XLIII. Thomam sic loquentem introducit: Non credidi prius, quia nesciebam Te esse Deum meum, at nunc credo Te esse Deum meum, quia secretum attingens scala ( Cantic. II. v. 14. ) resurrexisse Te video: Prius quia non credidi, divinitatem, negabam, resurrectionem, at nunc videns resurrectionem, confiteor tuam divinitatem. Sic etiam Oecumenicus egregiè satis de hoc loco dixit: Ne arbitreris Patri quidem Deitatem, Filio autem peculiariter denominationem attributam, in multis enim Scripturae locis Patrem quoque Dominum vocant Psalm. CX. Similiterque Deum Filium Psalm. XLV. Rom. IX. quo pertinet etiam hæc Thomæ confessio, in quâ Christum disertè & Dominum & Deum suum vocat. Et ut hisce allatis fidem habeamus majorem, audiamus modo iudicium, quod de hac Thomæ confessione, Christus ipse tulit. Quia vidisti me Thoma, inquit, credisti, beati qui non viderunt & crediderunt. Approbat optimus Salvator, verbis hisce fidem & confessionem atque hoc ipsò se verum Deum & Dominum esse, demonstrat, nunquam enim passus fuisset honorem. Patri falsò ereptum, in se transferri, nisi verè ejusdem particeps & consors esset. Huic assentitur Hilarius Lib. VII. de Trinit. ita Scribens: Religiosus filius, & qui non voluntatem suam, sed ejus qui miserat, se faceret, & qui non honorem suum sed ejus à quò venerat, quæreretur, honorem hujus in se nominis recusasset, ne quod ipse unum predicaverat, solveretur.*

## THES. XV.

Etsi jam varia eademque apertissima Divinitatis Christi in Sacris literis extent documenta quæ à *B. Chemnitio* Tract. de Persona Christi c. XXIX. *B. Huttero* in locis Theologicis fol. 178. *B. Hunnio* in Tractat. de Persona Christi c. XXIX. *B. Gerhardo* Exegesi p. 1188. & 1421. Confess. Cathol. Lib. II. part. 1. art. II. c. I. Thes. V. p. 393. & seq. Disput. Theolog. part. 1. p. 42. & part. 3 p. 1510. Dom. Giessens. *B. Calovius* de Persona Christi column. 1039. it. in Socinis. Profligat. p. 63. *B. Feurbornius* in Anti-Ostorodo p. 168. & aliis accuratissimis Theologis passim urgentur, nobis tamen cum brevitati litandum sit, integrum non est, plura testimonia & dicta probantia in præsentia adducere, non enim nisi Thomæ confessionem nostram facimus, ex quâ  
satis

fatis invictè colligi potest, Christum agnitum fuisse æternum, omnipotentem & summum Deum, quia non est alius Deus, nisi unus æternus ille & omnipotens Deus ut Apostolus testatur I. Corinth. VIII. 4.

### THES. XVI.

Quibus ita positis (1) vocem *κυρις* altiori mentis indagine perpendimus, ex quo ita argumentamur:

*Quicumq; in N. T. κυρις & propriè, in singulari numero, sine conditionibus restringentibus vel imminuentibus, vocatur, ille est divinus, eminentissimus, absolutissimus & omnipotentissimus Deus.*

*Atq; vi, Christus in N. T. Joh. XX. à Thomas vocatur κυρις & propriè, in singulari numero sine conditionibus restringentibus & imminuentibus.*

*E. Christus est divinus eminentissimus, absolutissimus, & omnipotentissimus Dominus.*

### THES. XVII.

Major nititur regula illa Theologorum: *Ubicunq; Nomen κυρις in N. T. propriè adhibetur, in singulari numero, sine conditionibus restringentibus vel imminuentibus ibi divinum, eminentissimum, absolutissimum, omnipotentissimum importat Dominium, soli Deo conveniens, nisi circumstantia Textus aliud innuant.* Dicitur (1) propriè ut excludantur eæ appellationes quæ vel *ψευδολογως* fiunt, vel solius tantum honoris causâ & titulo tenus solummodò. II. in numero singulari. quum pluralis inferat plures Dominos: *Deus autem non sit nisi unus Dominus Marc. XII. v. 29.* III. Citra conditiones restringentes vel imminuentes, ubi enim restrictiones adduntur, non necesse est infinitum Dominium intelligi; ubi conditiones imminuentes, Dominio divino non convenientes, aliud quam divinum intelligi Dominium, certum est. IV. Limitatio additur, à contextus circumstantiis, si enim hæc evidenter innuunt aliud quam divinum Dominium

nium, non poterit utiq; intelligi divinum Dominium. Ita cum Festus ait *Act. XXV. v. 26. se non habere quid certi, quod I. D. mino scribat,* man f. stum est Cæsarem intelligi, quem antea nominaverat. *I. Pet. III. 6. Sara obediebat Abrakæ, Dominum cum vocans, sc. Abrahamum.* Hisce itaq; obserantibus limitationibus, nomen Domini divinum Dominium & imperium inferre, certò colligitur, siue absq; articulo ponatur, siue articulum præfixum gerat, siue absolute occurrat, siue cum additamento, non alienante, sed confirmante divinum imperium, aut convenienti maxime Domino rerum absoluto. Minor constat I. ex Confessione Thomæ & habetur in Textu satis clara *κὺς υἱὸς υἱὸς* II. Ex inductione aliorum N. T. Dictorum, ubi Christus absolute & simpliciter, & quidem sic dicitur Dominus, ut omnibus reliquis Dominis *λεγομένοις* opponatur. *Matth XXI. v. 3. I. Corinth. VIII. v. 5. 6. & Dominus gloriæ I. Corint. II. v. 8. & Dominus ex cælo I. Corint. XV. v. 47. & Dominus omnium Act. X. 36. & Dominus Dominorum asseratur Apoc. XVII. v. 14. c. XIX. v. 16. quod certè est nomen ipsius Jehovæ Psalm. CXXXVI. v. 34. Atq; ita vocat Thomas Christum summum Dominum qui à mortuis resurrexit ut mortuis & viventibus dominaretur Rom. XIV. v. 9.*

### THES. XVIII.

Præterea cum nomen *Ἰησ* absolute positum nusquam alii quam uni Deo attribuatur à Spiritu S. in universo N. T. facile exinde pro summa Divinitate Christi argumentamur:

*Quemcumq; Sacra Scriptura proprie & absolute vocat Jehovam & Deum, is est verus Deus.*

*Atq; si Sacra Scriptura Christum proprie & absolute vocat Jehovam & Deum*

*E. Christus est verus Deus.*

### THES. XIX.

Major probatur quia I. vox Jehovæ & *Ἰησ* absolute & simpliciter posita est nomen soli Deo proprium, prout videre est *Exod. VI. 3. & XV. v. 3. Esai. XLII. v. 8. & XLI. v. 5. (III) nulla creatura extra De-*

um



um subsistens, propriè absolute & simpliciter in Sacris literis dicitur  
Deus, si enim impropriè respectivè & nuncupativè eò nominatur,  
tunc modo est nomen appellativum, & multis commune: & quidem  
ex mente loquentis Spiritus Sancti vel *approbative* vel *improbative*  
ponitur. In *sensu approbativo* quando *Diabolus II. Corint. IV. v. 4.*  
*Deus hujus seculi & venter Philipp. III. v. 10.* *Deus in imicorum crucis*  
*Christi appellatur.* Sic dicuntur *Dii alieni Gen. XXXV. v. 2. 4. & XX. v.*  
*3. Dii aurei & argentei Exod. XX. v. 23. Dii Labonis Gen. XXXI. v.*  
*30. Dii Gentium Deuteron. VI. v. 14. Esai. XXXVI. v. 18. & c. & cap.*  
*XXXVII. v. 19. & II. Reg. XIX. v. 18. Deus Baal I. Reg. XVIII. v. 24.*  
*25. 27. Deus Sidoniorum & Moabitarum I. Reg. XI. v. 5. & c.* Utut  
autem hæ & similes Phrases in sacris literis obviæ sint, nihilominus  
tamen hoc fundamentum manet immotum, quod nomen Deus,  
propriè, seu non tropicè & modificatè neq; *καὶ δόξας* idololatrarum  
sibi Deos fingentium acceptum, sit nomen soli & uni altissimo Deo  
proprium. Minor constat iterum ex perspicua confessione Thomæ,  
qui Christum absolute & simpliciter & propriè vocat Deum, id quod  
magis clarum redditur ex collatione Dictorum V. T. de Jehova lo-  
quentium, & testimoniorum N. T. asserentium illum Jehovam, de  
quo V. T. *Jeffata* loqvuntur, esse Christum, quorum quædam hic alle-  
gabo. *Num. XXI. v. 6. 7. Scriptum est: Misit Jehovah in populum igni-*  
*tas serpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorum venerunt ad*  
*Mosen & dixerunt: Peccavimus quia locuti sumus contra Dominum.*  
At Paulus *I. Corint. X. 9.* testatur, hunc Jehovam quem Judæi tenta-  
runt esse Christum, sic enim inquit: *Neq; tentemus Christum sicut &*  
*quidam illorum tentaverunt & a serpentibus extincti sunt.* Quod  
dictum ut clarius pateat, considerandum est, quod etsi Paulus *ἠντιῶς*  
non addiderit accusativum, h. e. non expressè dixerit, quod Judæi  
tentarint Christum: *διανουητικῶς* tamen eum intelligat, quia thema  
ipsius est, quod *Christus Jesus nequeat impunè tentari.* Hoc ipsum  
confirmat ab Exemplo Judæorum, qui eò quod tentarunt Jehovam,  
graviter sunt puniti. Pone jam Christum non esse Jehovam, & natu-  
râ Deum, sed hominem divinum, Deo inferiorem, & statim incidet  
nervum argumentationis Apostolicæ, non enim consequens firmum  
esset: Judæi tentantes Jehovam ipsum, sunt puniti, Ergo & tentantes  
Christum punientur; quia statim posset regeri esse *Elenchum Parium;*  
qui

qvi declinabitur & argumentum Paulinum robustum retinebitur, quando asseretur, quod Judæi tentarint Christum Jesum, ceu Deum ipsum altissimum Syllogismus Ergo est immotus: Si Paulus docet, Christum Jesum esse eum Dominum, & Deum, quem Judæi tentarunt, Ergo Christus est ipse Dominus & Deus à Judæis tentatus. Atqui prius. Ergo. Neq; est ut dicas quod Populus & contra Deum & contra Mosen locutus, murmurarit: neq; tamen Moses sit Deus. Nam distinguendum est inter tentationem & oblocutionem: Contra Deum & Mosen populus quidem est locutus, & murmuravit, ast non Mosen, sed Deum dicitur tentasse *vid Exod. XVII. v. 2. 7.* & passim, nec immeritò, quia hæc Dei tentatio, est Divinitatis exploratio. Manet igitur firmum argumentum: *Quem Judæi sic tentarunt is est Jehova, at Christum sic tentarunt. E.* Sic Jehova altissimus Deus ait. *Esai. XLII. v. 4. & XLIV. v. 6. & XLVIII. v. 12. Ego sum primus & novissimus & c.* At *Johan. in Apocal. I. v. 13. 14. 15. 16. 17.* testatur, quod Jesus Christus filius hominis, sit ille Primus & Novissimus, verba enim ejus sunt clara: *Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes ejus, tanquam mortuus: & posuit dexteram suam super me, dicens mihi: Noli timere, ego sum primus & novissimus & vivens: & fui mortuus & ecce sum vivens in secula seculorum. Qvis hic vel ausit vel possit negare quod Jesus Christus, qvi fuit pro nobis mortuus, & jam in æternum vivit, sit primus, & novissimus; Quod certè ratione substantiæ intelligendum esse indicat Esaias, ex quo hæc phrasis est desumpta, solidum igitur & hoc fundamentum est: *Qui est primus & novissimus, ille unus & solus* (& nulla creatura) *est altissimus Deus* quia apud *Esaiam cap. XLIV. v. 6.* inquit Jehova: *Ego primus & ego novissimus & absq; me non est Deus, At Jesus Christus est primus & novissimus, E. Jesus Christus, est unus & solus* (& nulla creatura, quippe quam particula exclusiva hinc penitus excludit) *altissimus Deus.* Sic *Zachari. XII. v. 10* inquit Jehova: *adspicient ad me, quem transfixerunt & c.* Johannes autem *c. XIX. v. 36. 37.* de Christo transfixo & crucifixo loquens ait: *facta sunt hæc ut scriptura impleretur, os non comminuetis ex eo: & iterum alia Scriptura dicit: videbunt quem transfixerunt confer Apoc. I. v. 7.* Cum itaq; sit Christus ipse Jehovah, qvi apud Zachariam loquitur, quis piorum dubitet eum esse naturâ Deum? Huc accedit quod Christus in Sacris literis, absolutè & simpliciter in singulari numero*

mero

mero dicatur Deus *Job. I. v. 1. Matth. I. v. 23. Luc. I. 16. Act. XX. v. 28.*  
*I. Tim. III. 16. Hebr. I. 9. Rom. IX. v. 5. Deus verus I. Job. V. v. 20. Deus*  
*fortis Esai. IX. v. 6. Deus magnus Tit. II. v. 13.* (quod est nomen & axi-  
 oma solius altissimi Jehovæ) *Deuteron. VII. v. 21. & X. v. 17.* & passim,  
 ubi non de Deo Patre sed de Christo Paulus loquitur. Nam I. illum  
 hic vocat Deum magnum cuius ἐπιφάνεια gloriae id est gloriosam  
 expectamus, sic enim sonant verba: *Expectantes beatam illam spem &*  
*apparitionem gloriae, Magni Dei &c.* At non Dei Patris sed Christi  
 ἐπιφάνεια gloriosam expectamus II. *Thessalon. II. v. 18. & I. Timoth.*  
*VI. v. 14. & II. v. 10. & IV. v. 18.* II. Paulus ait nos expectare ἐπιφάνει-  
 ας τῆς δόξης ἔμεγάλης θεῶ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ. Ubi no-  
 tandum est, quod Apostolus articulum Præpositivum non gemina-  
 rit, sed semel tantum posuerit; Quæ unica articuli positio ostendit  
 quod utrumque prædicatum nempe magnum esse Deum, & esse Salva-  
 torem nostrum, uni isti articulo subjectum, non de alio atque alio, sed  
 de uno eodemque sit intelligendum, & exponendum; Quemadmodum  
 constat ex similibus locis, in quibus ille articulus, non nisi semel poni-  
 tur, & proinde utrumque prædicatum illi articulo subnexum, de uno  
 eodemque intelligitur ut *I. Corint. XV. v. 24. cum tradiderit regnum*  
*τῷ θεῷ καὶ πατρὶ Ephes. V. v. 5. non habet hereditatem in regno χρι-*  
*στοῦ καὶ θεῶ ibid. v. 20. τῷ θεῷ καὶ πατρὶ II. Corint. I. v. 3. ὁ θεὸς καὶ*  
*πατὴρ II. Pet. I. v. 1. ἔμεγάλης θεῶ καὶ σωτῆρος II. Pet. III. v. 2. sumus A-*  
*postoli ἔμεγάλης καὶ σωτῆρος.* Quod si igitur Apostolus *Tit. II. v. 13.*  
 per Deum magnum intellexisset Patrem, & per Salvatorem distinctè  
 intellexisset Christum, tum, articulum istum geminasset, dicens: ἔ-  
 μέγαλης θεῶ καὶ ἔμεγάλης καὶ σωτῆρος. Ne verò quis putet, nos in  
 solo isto articulo hære, ideo & damus III. argumentum, ex v. 14.  
 petitum, ubi Apostolus ait: *Qui dedit semetipsum pro nobis, ut redi-*  
*meret nos ab omni iniquitate & purificaret sibi ipsi populum περιου-*  
*σιον, zeloten bonorum operum.* Hic articulus ἀναφορικὸς aut refert &  
 indigitat Christum, ceu magnum illum Deum, aut non ut magnum  
 illum Deum, sed duntaxat ut hominem divinum, Deo Magno, &  
 summo longè inferiorem, non posterius. Quia hic de Christo ejus-  
 modi θεῶ καὶ divina prædicantur quæ non nisi Deo altissimo com-  
 petunt, prout videre est *Esai. XLI. v. 14. & XLIII. v. 14. Exod. XIX. v. 5.*  
*& Psalm. CXXXV. v. 4. & I. Reg. VIII. v. 53.*

C

THES. XX.

THES. XX.

Tandem Pronomen  $\mu\bar{s}$  additum neq; Emphasi articuli derogat, neq; Dei appellationem imminuit, sed potius confirmat, hic intelligi Deum unum, quia nusquam in sacris literis ullus fidelium Deus dicitur, præterquam ille unus Deus, unde invicta illatio.

*Deus fidelium est unus ille Deus.*

*At Christus est Deus fidelium*

quod exemplo Th. & confessione Thomæ jam fidelis constat.

*E. Christus est unus ille Deus.*

THES. XXI.

Major, uti dixi, patet è locorum inductione: Quid enim solemnius in Sacris literis quam unum illum Deum ita describi, quod fidelium Deus sit. *Ita Deus vocatur Deus ἡμῶν noster Luc. I. v. 78. I. Thessalon. II. v. 2. c. III. v. 9. II. Thessalon. I. v. 11. 12. Ebre. XII. v. 29. I. Pet. I. v. 1. Apocal. V. v. 10. c. VII. v. 3. 10. 12. c. XII. v. 10. 16. c. XIX. v. 15. Deus ὑμῶν Deus vester Marc. XII. 29. Job. VIII. v. 54. c. X. v. 27. Actor. II. v. 39. c. III. 22. c. IV. v. 19. c. VII. v. 37. vel αὐτῶν ipsorum II. Corint. VI. v. 16. Ebre. II. v. 16. Apocal. XXI. v. 3. additur etiam Nomini Θεός pronomen εἶ tuus cum sermo est de Deo uno Matth. IV. v. 7. 10. c. XXII. v. 30. Luc. IV. v. 8. 12. c. X. v. 27. Ebre. I. 9. item hoc ipsum Pronomen  $\mu\bar{s}$  meus Matth. XXVII. v. 45. Marc. v. 34. Job. XX. v. 17. Rom. I. v. 8. I. Corint. I. v. 4. c. XIV. v. 18. II. Corint. XII. v. 21. Philipp. I. v. 3. c. IV. v. 19. Philemon. v. 1. Apocal. I. v. 12. Et quid frequentius quam Deum illum unum dici Deum Israelis, Deum Abrahamæ, Deum Isaac, Deum Jacob, Deum Patrum, Deum Populi, Deum item Sanctorum Prophetarum Apocal. XXI. v. 6. quem eundem esse Deum Thomæ, qui dubium esse potest. Confert Socinus in Epist. ad Franciscum Davidis p. 189. cum hac, nostro loco, ratione phrases: Psalm. V. v. 5. *Intendi voci orationis Rex & Deus meus & Ps. XXXIV. v. 23 Exurge, & intende iudicio meo Θεός  $\mu\bar{s}$  καὶ κύριός  $\mu\bar{s}$  Deus meus & Dominus meus, & (ut habeatur locus, huic nostro exactè respondens, ubi nimirum nomen Domini, Dei nomini præpositum sit) Apocal. IV. ult. ἀξιῶ εἶ οὐ κύριος καὶ ὁ Θεός ἡμῶν ὁ ἅγιος λαβεῖν &c. Ut ergo nullum dubium quin illis in locis voce Deus meus & Dominus meus, item Dominus & Deus noster intelligatur unus ille verus Deus, ita necessum quoq; omninò est eadem**

voce hic unum illum verum Deum intelligere, cum Thomas ait: *κρίσις ἡ καὶ εἰς θεὸν καὶ ἑαυτὸν* quum phrasēs prorsus eadem sint, & loca exactè sibi respondeant, de similibus enim idem est iudicium nec temere, quod hic ipse Socinus monet l.c. p. 188 à consveta & propria significatione est recedendum.

THES. XXII.

Circa hanc tam luculentam Deitatis Christi confessionem, varias quæsiere elabendissimas adversarii: Socinus in Refutat. Bellarm. & Wieck p. 280. 282. Enjedinus in Explicatione locorum Vet. & N. T. p. 248. 250. Ostorodus contra Tradeel. p. 2. cap. 5 p. 106. Moscorovius in Catech. Racov. p. 101. Sandius in Interpretat. Paradox. p. 257. hi negant, his verbis Thomam Christum compellasse, eumque Dominum suum & Deum vocasse. Fingit itaque Enjedinus l.c. p. 249. Thomam Stupore & terrore plenum, & extra se quasi raptum exclamare more hominibus consveto, Dominus meus & Deus meus, adeoque, saltem rem inusitatam, & admirationem suam summam significare, ut cum Græci dicere solent *μεγαλὰ θεοὶ*, latini, Dii magni, Dii boni, ut apud Heliodorum Catullum Terentium videre est, & vulgus cum admirabile aliquid videt, exclamat, *Jesus Maria*. Sed hæ rimæ facile obstruuntur, frustra quæsitæ. I. enim nullum in Sacris literis talis admirationis in re inusitata exemplum habetur, maximè ubi non  $\omega$  signum exclamantis, sed articulus occurrat. Etenim Scrinia Heliodori, Catulli, Terentii, excutere opus habuit Enjedinus nihil reperiens in Scripturis. Ad illorum & vulgi Christianorum consvetudinem Sanctam Thomæ confessionem exigere voluit, ne deesset quod regereret. Quæ Sandius affert è Scriptura, *ἀλλότεια* sunt Marc. XV. v. 34. non exclamatio admirantis sed suspirium invocantis è Psalm. XXII. v. 1. habetur. Quod etiam de Psalmo XXVII. v. 1. dicendum, Psalm. XLV. v. 8. & LXXXIV. v. 10. itidem nulla est admirantis exclamatio, sed compellatio Dei, in casu nominandi. II. ne apud Gentiles quidem Scriptores reperiuntur exempla, quandoquidem exclamations ejusmodi non cum articulo, & Nominativo exprimantur, sed in vocativo, vel etiam interjectione & vocativo ut adducta Enjedini exempla docent. Si dicant adversarii: Nominativum hic pro vocativo usurpari: exempla proferenda ipsis erunt, ubi in Exclamationibus præ admiratione factis id usu venerit, & quidem adhibito articulo, ita ut is  $\tau\omega$   $\omega$  exclamantis respondeat. Solet quidem in compellatione Nominativus pro

Vocativo adhiberi, verum ita articulus compellantis & vocantis vim  
 subit, non autem exclamantis quod *Pf. LIX. v. 1. Pf. LX. v. 1. Pf. LXIII.*  
*v. 1. Luc. XVIII. v. 13.* videre est, confer. *Luc. VIII. 54. Ephes. VI. v. 1.* quod  
 etiam *Matth XV. v. 34.* fieri manifestum est, ubi itidem *compellandi*  
 vim habet, non autem prae admiratione exclamantis. III. In aperto est,  
 Thomam hic non exclamarè ad Deum Patrem, sed *Christum com-*  
*pellare*, quia disertè dicitur, Christo respondisse ei; hæc dixisse: *Do-*  
*minus meus & Deus meus* καὶ ἀπεκρίθη ὁ Ἰωάννης, καὶ εἶπεν αὐτῷ Re-  
 spondit Thomas & dixit: cui nam verò nisi Christo? Torquet se hic  
*Enjedinus* & comminiscitur hanc loquendi formulam *dixit ei* idem  
 significare in Sacris atq; , dixit post verba ejus, vel auditis verbis ejus,  
*Luc. XIV. 16. Joh. XIV. 22. 23.* At, quod dixerat post verba ejus vel au-  
 ditis verbis ejus, jam innuerat Evangelista voce ἀπεκρίθη respondit,  
 nunc autem ad quem verba direxerit in responsione indicat, dixit ei:  
 Nee aliud apparet à *Luc. XIV. 16. Joh. XIV. 22. 23.* quàm quod vi ver-  
 borum *dixit ei*, ad eum, qui locutus antea fuerat, verba directa fue-  
 rant etsi alii (quod ex accidenti est ad horum verborum sensum) ad  
 fuerint, simulq; ita illis ea dicta fuerint. Hic vero verba illa, *Dominus*  
*meus & Deus meus* etsi in aliorum præsencia dicta tamen ad unum  
 tantum Christum cui dixisse hæc Thomam refert Johannes, directa  
 fuere. Præter hæc obvertit Franciscus David, quædam exemplaria  
 non habere *& dixit ei* sed simpliciter *& dixit*. Respondet autem ei  
 Socinus ipse in Epist. ad eum Scripta p. 186. *Diversam illam lectio-*  
*nem non extare, neq; in approbato codice, nec apud ullum probatum*  
*Scriptorem: Satisq; esse quod dicitur: Respondit Thomas quia nemo*  
*Respondens cum alio loquatur sive ad alium verba dirigat quam ad*  
*eum cui, sive ad cuius verba respondet, præsertim, si is antea ipsi locu-*  
*tus fuerat ad ipsumq; verba sua direxerat.* IV. Ahortatus fuerat  
 Christus Thomam: *ne incredulus esto sed credens*: Jam vero Thomas  
 sese credere hac confessione sua testatur, non terrore & stupore ple-  
 nus, & extra se quasi raptus exclamat. Quid quod Christus ipse ei te-  
 stimonium tribuat fidei *quia vidisti, credidisti*. Non ergò ut stuporis  
 & terroris vocem, sed ut fidei confessionem verba ejus acceptavit.  
 Quæ sine dubio moverunt *Socinum, Smalziium, Volckelium* ut &  
*Theoph. Nicolaidem* contra Albert. Borckovviky de Eccles. c. 8. ali-  
 osq; ut *Enjedini* glossam reprobarent, Christumq; à Thoma com-  
 pellatum esse agnoscerent, quin & interprete Smalcio contra  
 Franz.

Franz. disp. 12. refutati Enjedini explicationem pro ineptissima habere-  
 rent: Ratio quam affert confirmandæ sententiæ suæ *Enjedinus*, affer-  
 tur & ab aliis adversariis, qui tamen sententiam *Enjedini* reprobant,  
 magisq; ea est opposita nostræ interpretationi, quam accommodata  
 confirmationi depravationis *Enjedianæ*. *Negamus autem quod assu-*  
*mitur, nihil visum fuisse Thomæ ex quo colligere poterat Christum*  
*Deum esse: quandoquidem ipse Christus asserat, eum credidisse, pro-*  
*pterea, qui viderit. Et vidit omnino Thomas atq; agnovit, dum*  
*Christum redivivum à mortuis vidit, eundem verè Messiam esse h. e.*  
*verè Deum Ps. XLV. 8. Jehovaham Jerem. XXIII. 6. ipsoq; opere com-*  
*plevisse quod prædixerat Joh. II. 19. quodq; testatus erat Joh. X. 18.*  
*Quod si is qui à mortuis resuscitatus, verus Deus esse colligitur annon*  
*hinc Christum verum Deum esse concludere poterat Thomas, quod*  
*videret ipsum excitasse templum corporis sui, animamq; suam resum-*  
*fisse, etsi eundem agnosceret verum hominem, qua parte & mortu-*  
*us & resuscitatus fuit. V. Est exceptio Nestorianorum in V. Synodo*  
*Oecumenica jam dudum damnata vid. Dieterici Cat. Instit.*

THES. XXIII.

Porro Franciscus David hoc sensu verba illa ad Patrem referri  
 posse contendit, *Dominus meus & Deus meus quam fui pertinax &*  
*incredulus, quod verbo & promissioni Tue de excitando*  
*ex mortuis filio tuo & testibus quodq; condiscipulis meis non acquievi,*  
*propter hanc meam incredulitatem dignus essem penam?* ut refert So-  
 cinus in Epist. p. 189. Sed ad hanc retorsionem respondet ipse Socinus  
 quem producimus è loco citat. p. 189. *Hæc tua interpretatio inquit,*  
*nullo modo sustineri potest, primum quia non potuisset dicere Johannes*  
*simpliciter, Thomam respondisse, si ad alium quam ad Jesum qui ipsum*  
*allocutus fuerat verba sua direxisset. Deinde quia nullum ejusmodi*  
*ellipsis exemplum in tota Scriptura sed neq; etiam in alio probato au-*  
*tore fortassis invenies. Præterea cum Christus verbis illis à Thoma*  
*prolatis statim dicat: Quia vidisti Thoma credisti, nemo dubitare po-*  
*test, vin ex ipsis Thomæ verbis aperte constiterit, eum jam credidisse.*  
*Atq; si ad Deum Patrem illa referantur, id nullo modo constare po-*  
*test, cum nullam sententiam explicent, & varia possint subaudiri, imò*  
*talia, quæ Thomam nec credidisse nec credere voluisse demonstrant.*  
*Sic enim posset quispiam ea verba supplere. Dominus meus & Deus*  
*meus, ne permittas ut his prestigiis dicipiâr. & id credam, quod cre-*

dendum non est. Quod si ad Christum referatur omnia plana sunt  
Conf. exemplum Nathanaelis Joh. I.

THES. XXIV.

Inveniuntur etiam, qui referente Socino in Epistolis p. 191. dixerunt,  
Ellipsin esse in verbis Thomae: Sed recto tamen, non autem vocandi ca-  
su ea accipienda esse, hoc aut simili sensu, Dominus meus & Deus me-  
us laudatur, qui me ea videre facit, quae licet maxime cuperem, non  
tamen facta fuisse animum inducere poteram, & profitente ibid. So-  
cino loc. c. Nec defuerunt, qui faterentur quidem, Christum à Tho-  
ma Deum appellatum fuisse, sed non jure. Quam sententiam tamen  
adeo foedam & impiam esse, agnovit Svevius ut ab Erasmo & Gual-  
thero confutari indigna habita fuerit: At respondemus ad hoc; quod  
ellipsis illa prorsus arbitraria sit, nec Scripturae exemplis, nec ulla ra-  
tione suffulta. Quod si autem ellipses ejusmodi pro arbitrio statu-  
endae vel introducendae, quibusdam sensus affingi non poterit verbis  
Scripturae, adde quod refragetur tale commentum ipsis disertis ver-  
bis. Dicitur enim respondisse Thomas & dixisse ei h. e. Christo, non  
autem oratione ad Deum directae, Deum Patrem celebrasse. Nec ali-  
ter acceptavit Christus Thomae verba, quam ceu fidei confessionem,  
ut è responso ejus subjuncto manifestum est. Fatetur inde Socinus:  
Certum esse ad Christum, ea referenda, & omnino concludendum  
esse, Christum in illis verbis Thomae & quidem jure optimo, De-  
um, nec solum Deum, sed Deum nostrum fuisse appellatum l. c. p. 192.  
Et per similem huic loco, esse locum illum a t, Job. XIII. 13. ὁ δὶ δὶ δὶ ἀκού-  
σας καὶ ὁ κύριος. Quemadmodum enim Dominum agnoscebant  
(verba sunt Socini de discipulis Christi) & confitebantur, sic Thomas  
Christo dicens: Dominus meus & Deus meus, eum Dominum & De-  
um suum agnovit & confessus est: Locum autem plane simillimum  
dicit quicquid; pro aperta hujus explicatione esse possit. Tob. VII. καὶ εἶ-  
πε αὐτῷ ὁ τῆς καλῆς καὶ ἀγαπῆς ἀνδρῶν υἱός. Sicut igitur ibi mani-  
festè Tobias à Raqvele honesti & boni viri filius agnoscitur, & nomi-  
natur, ita & hic Christus à Thoma, Dominus suus & Deus suus agno-  
scitur & nominatur.

THES. XXV.

Cæterum Enjedinus, concessit eò, quod verba Thomae in Christum  
directa fuerint, negat consequi, Christum esse æternum & omnipo-  
tentem Deum, quando quidem multi sint Domini & Dii tam in cælo  
quam



quam in terra, I. Cor. IIX. 6. Sed resp. obtentâ & concessâ Thomæ confessione, invictè satis colligitur, Christum agnitum fuisse, æternum & omnipotentem deum, quia non est deus alius nisi unus, nimirum æternus ille & omnipotens Deus, ut Apostolus l. c. testatur. I. Cor. IIX. 4. Quamquam autem multos esse Deos & multos esse Dominos dicat, aperte tamen loquitur de Dominis λεγομένοις, qui ita dicuntur & nuncupative tantum Dii sunt, eademq; classe eximit Christum, ceu unum illum Dominum, per quem omnia sunt & nos per ipsum, ideoq; non nisi impiè Christus in ordinem & censum multorum illorum Dominorum & Deorum refertur. *Nec obstat, quod dicunt, hunc ipsum locum ostendere, Christum non esse æternum Deum, quia Thomas ex resurrectione collegerit Christum esse Dominum & Deum suum, at resurrectionem demonstrare, Christum non esse Deum æternum, ut qui ex mortuis resurgere nequeat cum mori non possit.* Sed Resp. (1) committitur hic elenchus causæ, licet enim Christus non potuerit mori in Deitate sua, atq; sic nec resurgere, mortuus tamen est in sua humanitate I. Petr. IV. 1. in qua & resuscitatus est ex mortuis, (2) ex resurrectione maximè colligere potuit Thomas, Christum esse Deum æternum, quia propria virtute semetipsum ex mortuis resuscitavit, Joh. XI. 29. & 22. quod ipsum quoq; ex collatione locorum Joh. V. 26. c. X. v. 18. I. Tim. VI. 23. perspicuum est.

THES. XXVI.

Tandem & hoc excipit Socinus in Antiwujek p. 260. *Articulum non habere hoc loco vim singularis Dei significandi propter additum nomini ὁ θεὸς pronomen ἡς.* Sed resp. Non solum ex vi articuli præpositi argumentamur, sed & ex evidentia rei, quod non sit nisi unus Deus, quod nec Thomas nec quisquam alius discipulorum Christi agnoverit, nec agnoscere debuerit alius. Deum suum, quam Jehovah, unum Deum, cui & uni & soli toto corde confidere, quem unum & solum tota anima diligere vi præcepti primi tenebantur. Quod vero Pronomen ἡς additum neq; emphasi articuli deroget, neq; Dei appellationem imminuat id patet ex collatione aliorum locorum, in quibus Deus de se ita loquitur: *Ego sum Dominus Deus tuus*, Exod. xx. v. 2. Ps. L. 7. *Deus tuus ego sum.* vid. B. Calovii Theol. nat. & revelata. Cap. III. p. 483. seqq. Aut quis nescit hac phrasi solemne fideles testari suam confidentiam de Dei in eos bona voluntate quis non illud Jehovah legit ad Abrahamum: *Ero Deus tuus.* Genes. XVII. 7. Præterea pergit objicendo ita dicens: *Articulum eum ita accipi posse, ac si esset adverbium vocandi & nomen Deus e ipsa voca-*

ivo elatum esset, vel ac si  $\theta$   $\theta$   $\epsilon$   $\delta$  sine ullo adverbio, vocandi casu elatum fuisset, ut Marc. XV. 34. Resp. (1.) argumentum hoc est in efficax à posse enim ad inesse non valet consequentia. Probari autem debebat, Nominativum hoc loco non posse subsistere, sed necessario per Vocativum exponi debere. Tandiu igitur urgemus contra adversarios hoc loco Nominativum donec contrarium probaverint. (2.) Etiam si  $\theta$   $\theta$   $\epsilon$   $\delta$  admittatur ceu sensu vocandi dictum, non tamen ideo vis vocis Dei infringitur, ne designet unum illum Deum, quid enim? anne Deus unus indigitatur cum  $\theta$   $\theta$   $\epsilon$   $\delta$ , aut etiam  $\theta$   $\theta$   $\epsilon$   $\delta$   $\mu$   $\chi$  casu vocandi compellatur Matth. XV. 34. Luc. XVIII. 11. 13. Apocal. IV. v. ult. c. XI. 17. c. XV. 3. c. XVI. 7. & c. Sola certè casuum enallage non potest per se quicquam facere, ad diminutionem potestatis nominis Dei. Sed nec ullibi compellatur Deus hoc pacto,  $\theta$   $\theta$   $\epsilon$   $\delta$ , vel etiam cum addito pronomine  $\mu$   $\chi$ , vel  $\eta$   $\nu$   $\iota$   $\nu$  aut simili additamento, quin semper & ubiq; intelligatur unus ille verus Deus, unde iterum invictè concluditur, unum illum verum Deum intelligi, quem ita compellat Thomas  $\theta$   $\theta$   $\epsilon$   $\delta$   $\mu$   $\chi$ .

#### THES. XXVII.

Tandem addit Socinus. l. c. innui his verbis: *Christum non modo Dominum, sed divinum Dominum esse quem colere eiq; confidere deberet.* Sed Resp. Nimis jejuna est hæc explicatio, quod Christus divinus Dominus innuatur. Non enim divinum Dominum, sed Dominum suum & Deum suum confitetur Apostolus. Nusquam in Scripturis Deus idem est quod divinus. Nusquam Deus hujus vel illius fidelis, Deus Abrahæ, Isaac, Jacobi aut Deum Israelis hominem divinum notat, sed semper Deum illum unum, quemadmodum ipsimet adversarii fatentur Deum Israelis, Deum illum unum esse. Idem autem est Deus Thomæ, qui Deus Abrahæ. Patris credentium, qui Deus Israelis, non autem alius atq; alius Deus quum non sit alius Deus nisi unus etiam in N. T. I. Cor. VIII. 4. & repetitur diligenter à Christo illud  $\alpha$   $\xi$   $\omega$   $\nu$   $\alpha$  divinum Marc. XII. 29. *Audi Israel Dominus Deus noster Dominus unus est.* Non itaq; Thomas noster plures Deos habuit, quam illum unum de quo, voce & scriptis, informatus erat. Dictum enim ex Deut. VI. 6. ut Judæus semper menteolvebat, noverat etiam Præceptum Magistri sui, Salvatoris nostri Jesu Christi: *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies.* Matth. IV. 10. cum itaq; optimè sciret Christum religiose adorandum esse, Hebr. I. 6. fide satis egregia confitebatur. *Dominus meus & Deus meus.* Tantum in præsentia de hac egregia confessione, cæteras objectiones, in medium proferre, temporis ratio non patitur. Quod reliquum est ex animo precamur, ut omnes & singuli, quibus egregia de Domino nostro Jesu Christo, confessio, non æq; grata est ac Thomæ & nobis, monitum Christi commendatum sibi habeant. *Beati, qui non viderunt, sed crediderunt.*

05 A 221


**ULB Halle** 3  
004 207 300



WDA7







Farbkarte #13

B.I.G.

THEOLOGICA,  
E

SSIONE

OMÆ,

XX. v. 28.

AM  
ÆSIDIO

R I

*Magnifici, & Ex-*  
*ntissimi*

HANNIS

HMANNI,

longè Celeberrimi, Fa-

maximè Spectabilis, nec non

ium EPHORI gravissimi

*Patroni sui omni honoris*

*osequendi,*

iarum collationi

onit

WESTPHAL,

lenf. March.

ONDENS.

uarii, Anni M DC XCI.

ex prelo JO. WILCKII.

